Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 571
Quelle:
Copyright:

Primatis an. 258. in *Valeriani* perſecutione capite minuti Scripta complectitur, quorum *Index* praevius ita inſcribitur: *Caecilii Cypriani Epiſtulae. N. XLII.* Non ſunt vero omnia Epiſtolae. I. enim habentur *Libri* ejus III. *Teſtimoniorum adverſus Judaeos*, hoc Titulo: *Incipit Ad Quirinum Liber Primus.* Praemiſſa ad hunc *Epiſtola* legitur *Elenchus Capp.* XXIII. errore Librarii pro XXIV. Summariis *Cap.* XV. et XVI. inter ſe confuſis. *Epiſtola* porro incipit: *Cyprianus Quirino Filio Salutem. Obtemperandum fuit fili cariſſime deſiderio tuo* &c. Liber ipſe: *Judaeos in offenſam dei grauiter deliquiſſe* &c. Finis Libri, *Os enim domini loquutum eſt iſta.* Dein: *Incipit Libellus. II. Ad Quirinum.* Rurſus *Elenchus Capp.* in quo omiſſum Summarium C. XXVII. cum reipſa *Capita* ſint XXX. Initium Libri: *Chriſtum primogenitum eſſe et ipſum eſſe Sapientiam Dei* &c. Finis: *Juſti autem in uitam aeternam. Explicit Ad Quirinum Liber Secundus.* Denique: *Incipit Liber Tertius.* Liber hic non reperitur in omnibus *Codd. Mſs.* primum editus ab *Eraſmo* e *Cod. Gemblac.* cujus dubium, an totum hoc opus genuinus *Cypriani* foetus ſit, nimium levi fundamento nititur. Praefixam habet is rurſus *Epiſtolam*, quae inchoat: *Cyprianus Quirino Filio Salutem. Pro Fide ac deuotione tua quam domino deo exhibes* &c. Excipit illam denuo *Elenchus Capp.* CXX. Initium Libri: *Incipit Liber Tertius Ad Quirinum. De Bono Operis et Miſericordiae. Apud eſaiam. Exclama in fortitudine* &c. Finis: *meditabitur die et nocte. Ad Quirinum Numero Libri III. ex.* Extant in edit. *Veneta* 1728. ad *Baluzio* — *Maurianam* 1726. *Pariſ. f.* exacta, *col.* 531. cui cum *Codicem* noſtrum conferrem, quaedam adnotare viſum. In priore ad *Quirinum* Epiſtola noſter habet *legenti tibi.* Non placet mutatio in *legentibus*; totus enim Epiſtolae finis ad *ſolum* Quirinum directus eſt, ut inſpicienti patebit. C. I. abeſt *περικοπη*: *Derelictus eſt Juda* &c. C. II. legitur *corpus ſuum*, non *dorſum.* C. III. *Praebe aures, praeſepem domini ſui, Uae genti peccatrici*, non *gens peccatrix.* C. XI. deeſt totum illud: *Quia non permanſerunt* &c. C. XIV. illud: *Item apud Hieremiam. Audite uerbum* &c. Pronum fuit, ejusmodi loca Biblica aevo poſt *Cyprianum* in confirmationem eorum, quae ipſe adtulerat, adjicere. C. XXI. noſter quoque legit *cilicium* et *formidoloſi.* Item C. XXIV. *foenicium*; illud *quaſi roſſeum* vel *roſeum* potius gloſſa fuerit. L. II. c. I. Noſter *in parboemis* et a ſecunda manu *in parabolis* non *proverbiis.* Abeſt *primogenita.* C. IV. Abeſt adjectum a Morellio: *Item illic: Ecce feci te* &c. Item C. VI. illud: *Item in Malachia: Teſtamentum meum* &c. Praeterea recte legitur: *cadent in confuſionem*, et *Deus benedictus* de Chriſto. C. XII. omittitur: *cum muneribus.* C. XV. habetur: *azyma*

cum